



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Hierosolymitano Patriarchae, Liddensi Episcopo, Hierosolymitan Hospitalis
& militiae Templi Magistris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

HIEROSOLYMITANO
Patriarchæ, Liddensi Episcopo, Hiero-
solymitan Hospitalis & militiae Templi
Magistris.

Epiſt. 189.
Vt collectam
transfusam
que eleemosy-
nam fideliter
distribuant, &
de sua terce
juncte recri-
bant.

Tam ex litteris nostris quam rela-
tione multorum propositum quod
de subventione terræ orientalis assump-
simus, vobis jam credimus patuisse: qua-
licet propter guerras & discordias, quæ
peccatis exigentibus fortius & frequen-
tius solito pullulant in populo Christia-
no, aliquandiu differatur, non tamen
vobis debet fiduciam speratae utilitatis
auferre, cùm et si quidam, audito quòd
cum Saracenis treugas iniissetis, ad tem-
pus aliquantum tepuerint, nos non te-
peamus in aliquo, sed proposito potius
insistamus; quamvis propter impedimenta
prædicta nec possilitas voluntati
plenè respondeat, nec affectus in omni-
bus concludat effectum. Quid autem
super hoc à nobis & fratribus nostris, his
præsertim quos ad hoc duximus specia-
liter deputandos, actum existat, & qua-
liter sit processum, discretionem vestram
non credimus ignorare; cùm per diver-
tas provincias & litteras direxerimus &
Legatos ad exhortandos populos ad sub-
fidium vestrum, & Ecclesiarum Præla-
tos ad id mandaverimus ecclesiastica
districione compelli. Apostolorum igi-
tur vestigiis inhærentes, qui collectas fa-
ciebant in gentibus, ut fratribus in Hie-
rusalem indigentibus subvenirent, navim
expensis propriis fieri fecimus, & fru-
mento collecto ex fidelium eleemosynis
onerari: quod per dilectos filios Ray-
mundum Hierosolymani Hospitalis &
M. Militiæ Templi fratres & I. mona-
chum duximus destinandum, qui de con-
filio vestro illud magis indigentibus gra-
tis distribuant & discerent. Speramus enim
quòd armis orationum & eleemosyna-
rum adjuti, cùm fuerit datum ab illo
qui fortium arcus infirmat, & manus hu-
milium docet ad bellum, qui non in
numerositate bellantium sed in multitu-
dine miserationum suarum salvos facit,
de sua misericordia confidentes, id obti-
nebimus quod alias non potuimus haec-
nus obtainere. Credimus etiam quòd
Principibus & populis Christianis optata
tranquillitate concessa, expectatum in
Christo subsidium sentietis. Ideoque dis-
cretionem vestram monemus & exhor-
tamur attentiùs, per apostolica vobis

scripta mandantes, quatenus ad distri-
buendam gratis prædictam eleemosynam
indigentibus discretae provisionis aciem
extendatis, & statum Hierosolymitanæ
provinciæ nobis per litteras vestras fre-
quenter & veraciter intimetis. Sicut
enim expedit ut veri nobis rumores sæ-
pius exponantur, sic est utile ut hi sup-
primantur penitus qui mixturam sapiunt
falsitatis.

CAPITVLO CAPVANO.

CVM inter universas metropoles
Capuana sit apostolicae sedi vici-
nior, ad provisionem ipsius specialius
aspiramus, talem ipsi personam præfigi
cupientes, quæ sicut alios metropolita-
nos loci vicinitate, sic & devotionis af-
fectu præcellat, per quam & ipsa metro-
polis tam in spiritualibus quam tempo-
ralibus optatum suscipiat incrementum.
Intelleximus autem per dilectos filios L.
& P. Canonicos vestros, & litteras quas
ad sedem apostolicam derulerunt, quòd
ad Decanum & alios concanonicos ve-
stros Panormi manentes, cùm ex eo-
rum parte vobis fuisset per litteras in-
timatum ut Ecclesia Capuanæ damna
pensantes, sic tractaretis super electione
substituendi pastoris, quòd nullum de-
bereris in eorum absentia nominare,
quendam socium vestrum cum litteris
destinalis, duodecim dierum terminum
assignantes, infra quem, post receptio-
nen litterarum vestrarum, iter arripe-
rent redeundi, quamvis ecclesiastica
consuetudo non exigat ut ad electionem
pastoris canonici tam remoti vocentur
& illi præcipue qui longè antè quam vos
Metropolitanus vestri obitum præsentia-
liter cognoverunt, quorum aliqui post
ejus decesum ad Capuanam Eccleiam
sunt reversi. Quia verò mora longior
in electionibus est valde suspecta, immo
sepe damnosa, discretioni vestrae per
apostolica scripta mandamus atque præ-
cipimus quatenus invocata Spiritus san-
cti gratia, personam idoneam per elec-
tionem canonicam concorditer assu-
matis ad regimen Ecclesia Capuana;
consequenter ad nostram præsentiam
nuntios idoneos transmissuri, per quos
à nobis vice regia postuletis assensum,
& apostolica confirmationis gratiam re-
quiratis; attentiùs provisuri ut eo dis-
cretionis & caritatis studio proceda-
tis, quòd nec in electione virtutum nec in

Epiſt. 190.
Vt mature
novum Episco-
pum eligant,
non diu expe-
ctatis his qui
longius ab-
erant.